Edita lib. 1. Epistol. Astronom. Tychonis Brahe p. 105.



Ut et Illustriss. Principis et tuis respondeam literis, Eruditissime et Constantissime Christophore Rothmanne, remissionem tibi perscripsi in iis, quas interea per Wesselum Danicum meum ad te dedi, nec enim dubito quin una cum libro nostro secundo de Aetherei mundi recentioribus Phaenomenis, qui istuc ad munus erat, dudum tibi esse traditas. Librum vero illum te etiam interim diligenter evoluisse existimo, ut itaque tuam mihi de iis quae continet, sententiam aperias, et ingenue mentem tuam de his exponas, plurimum desidero. Ego vicissim tibi, quod veritati consentaneum videatur, libenter et liberaliter, quantum in me est, tum in his, tum etiam aliis declarare non intermittam. Nunc itaque tuis literis, erudita in Astronomicis, rerum copia luculenter refertis, et paulo etiam uberius respondeam, non diutius supersedendum duxi. Peropportune vero accidit, quod posteriores tuas literas, quibus ipsemet nimiam vaporum terrestrium elevationem in prioribus per incuriam aliquam commissam, opportune emendas, satis mature acceperim. Alias enim ego hac de re, te commonefacere in animum induxeram. Summa enim halitus iuxta opticorum demonstrationem ad 12 Milliaria Germanica vix ascendunt, quae terrae semidiameter (cui hi eorum remotiorum contra adaequati) plus sexagies continet. Verum hoc ab opticorum placitis dissonantia facile inter alias occupationes, per festinantiam obrepere potuit. Nunc itaque ad priores tuas literas, admissa sublimitatis vaporosae in posterioribus emendatione, ordine respondebo. De Cometico vero negotio Anni 86. iam non plura addam, satis enim in hoc convenimus; nec dimidii vel integri Minuti, quo ad Parallaxin, discrepantia, alicuius est momenti, imo prorsus insensibilis. Sic neque de declinatione maxima ulterius verba faciam: Eam enim a vobis nunc per rectificationem Quadrantis Perpendiculum meis inventis apprime consentientem, comprobatam esse, perlibenter intelligo. De materia coeli et Refractionibus, quoniam hoc necdum videtur satis inter nos decisa, operae pretium erit, ut ulterius tecum agam, tuaeque hac in parte petitioni morem geram: Materiam Spherarum coelestium tu non aliam quam elementarem aerem esse, et refractiones nullas ob Diaphanorum aetheris et aeris diversitatem fieri contendis, omnemque Refractionum occasionem in solos vapores Horizonti obversantes rejicis; at ego Coelum quidem non e dura impervia materia, in formam Orbium variorum pellucidarum extructa, constare, velut hactenus etiam a plerisque Philosophis, creditum est, vel ex ipsis Cometarum motibus, edoctus sum; Verum tamen, ut ullius Elementaris naturae particeps esse, nequaquam admisero: absit n. ut purissimae, perfectissimaeque et nullis mutationibus obnoxiae coelesti naturae, Elementare, corruptibile et variabile, atque huic inferiori caducae Regioni conforme aliquid associetur, Nec id ullus unquam saniorum Philosophorum admittere ausus est. Omnes siquidem unanimiter Coelum e numero et natura quatuor Elementorum prorsus exemptum, et praestantiore quadam natura perfectiori, verissime statuunt, ideoque illud quintam quandam essentiam, a quatuor illis Elementaribus prorsus diversam, longeque excellentiorem nuncuparunt.